

cap. 66 Quod imperium romanum aliquando fuit iustum.

Duobus itaque existentibus in mundo simul imperatoribus, scilicet Christo Yesu ex divina infusione et Octaviano ex humana institutione, imperium semper fuit apud Christum quantum ad auctoritatem, que dicitur potestas primaria; sed quantum ad potestatem secundariam, que includit imperii executionem, fuit apud Octavianum. Et hoc fuit primo, quando Christum in sua benedicta nativitate, spernens cultum ydolatrie in se ferri, Christum adoravit¹⁾. Ex tunc imperium, quod fuerat gentibus gratum sed non iustum nec perfectum propter ydolatricam quam fovebat, nunc factum fuit evacuata ydolatrica iustum et perfectum. Mortuo Octaviano anno etatis Christi XIII Tiberius imperator ordinatur, qui Christum adoravit²⁾. Ideo eius imperium iustum fuit habens imperii executionem perfectam, de quo Christus dixit Iudeis³⁾: 'Redite que sunt Cesaris Cesari', loquens de quodam parvo denario argenteo, in quo erat sculpta Cesaris ymago et superscriptio. Unde precepit quod Iudei darent unum denarium imperatori; nec propterea sequebatur quod essent servi imperatoris, sicut nec Christum solvendo staterem pedagiariis fuit servus ymo liber, ut habetur Mathei xvii.⁴⁾. Utrobique enim factum est ad vitandum scandalum. ...

cap. 67 Quod status papalis fuit a deo institutus.

Christus post suam resurrectionem die 50^{a)} imperante in Roma Tyberio Cesare, dum ipse dominus Yesus^{b)} in celum conscendere velet, convocatis omnibus discipulis suis ait illis¹⁾: 'Data est michi omnis potestas in celo et in terra'; et ait beato Petro apostolo²⁾: 'Pasce oves meas, pasce agnos meos.' Ex tunc ipsum episcopum et papam instituit, quia iniungendo gregis pastum iniunxit pastoris officium³⁾. Ex tunc status papalis sive pape fuit a deo immediate, quia ex Christi dei benedicti ore emanavit cum dixit: 'Pasce oves meas.' Tunc factus est Christi vicarius in terra^{c)} cum pleno dominio in temporalibus et spiritualibus. Unde⁴⁾ in primitiva ecclesia ipse^{d)} primus papa prefuit rebus temporalibus, et ipsi spetialiter reddebatur ratio et cumputus ante eius^{e)} pedes; defraudantes de pretio possessionis temporalis mortui sunt, sicut habetur Actuum 5.⁵⁾ Ubi est sciendum, quod potestas spiritualis in papa et potestas temporalis non sunt nisi una potestas quantum ad radicem, licet secundum diversos actus possit dici duplex...⁶⁾.

cap. 66 1) Vgl. Tholomeus von Lucca, DC 17 und De reg. pr. 2, 16 S. 36 und 3, 13 S. 54. 2) Vgl. z.B. Vincenz von Beauvais, Spec. hist. 7, 123 (Duaci 1624 S. 267), Bernard Gui, De Rom. pont., Paris BN lat. 4989 f. 1^r und Landulf Colonna, Brev. histor., Paris BN lat. 4912 f. LXXI^v. 3) Mt. 22, 21. 4) Mt. 17, 23 ff.

cap. 67 a) post — 50 om. W b) Christus W c) certa ecclesia W d) in est B e) cuius BW

1) Mt. 28, 18. 2) Io. 21, 15—17. 3) Vgl. GA cap. 185 und GA f. 129^v; CM cap. 217 und 444. 4) Unde — Actuum (vor Anm. 5) vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 206, 4—6. 5) Ac. 5, 1 ff. 6) Vgl. Alexander a S. Elpidio, De eccl. pot. II 4, 11 S. 18 und Jakob von Viterbo, De reg. christ. 2, 8 S. 248. — Der Schluß des Kapitels entspricht im wesentlichen CM cap. 347.